



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Agens De Rebus Ecclesiæ Sacris, & profanis, earumque usu, acquisitione,
conservatione, & alienatione

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

Titulus V. De Sepulturis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61834)

Volunt, ut in eiusmodi casibus hæredis, & legatarii consensus requiratur. In iustè negantibus nihilominus efficit Episcopus. Denique addunt in particulari, etiamsi pro calice emendo aliove sacro instrumento legata pecunia esset, in opus magis necessarium converti posse. *Barr. l. fin. de oper. publ. Sylv. & al. loc. cit. Covar. in c. Tna. n. 12. de testam. Emm. Sa. V. Testa-*

mentum num. 33. Ioan. Molanus Tract. de Testam. piis c. 72. Comitol. l. 7. Qu. 9. Layman. l. 3. Tract. 5. c. 11. Q. 4. num. 11. Angel. V. Legatum. §. 2. num. 12. & 13. Armilla eod. num. 54. & 55. Emm. Sa num. 2. & 3. Layman in defens. iustia. Q. 2. praeamb. p. 23.

TITULUS V.

De Sepulturis.

Postquam hinc decedentes longum seculum Vale diximus, domum æternitatis anima subeunte, corpus exanime communis Mater nostra humili cala excipit, quam utpote tenebrosam, & nulla pulchritudinis specie insignem sepulchrum, & Sepulturam appellamus. Cuius quanta olim fidelibus cura fuerit. Sacra nobis litera indicant. *Gen. 23. Exo. 13. Deuter. ult. Tob. 1. & 2. 2. Reg. 2. & 11. Matth. 26.* Quam autem Christi Ecclesia sollicitudinem pro defunctorum corporibus gerat, & omnibus commendet, ex Sacris Canonibus liquet 13. *Q. 2. l. 3. Decretal. de sepulturis & l. 6. eod.* Equidem contemnere humilitatis studio licet cuilibet, exemplo Papæ Marcellini, & Arbogasti Argentinensium episcopi, quorum ille omninò respuit, hic verò penè patibulum condi voluit; Ecclesia tamen inhumata iacere credentium corpora non patitur, sed honorificè condit: nec minus solliciti morientes, quid quove modo fieri desiderent, testamento inferunt. De

quo quia quæ necessaria videbantur, attulimus: hanc de sepulturis veluti mantissam addemus.

§. I.

De Loco Sepulturae.

I. **D**vobus potissimum modis Sepulturae nomen Canonum Sacrorum Interpretes usurpant. *Primò* enim locum ipsum, siue terra sit, siue tumba aliqua, arca, vel Urna, Sepulchrum appellant *Secundò* ius ipsum, quod Ecclesiae præpositi petentibus pro se suisque tribuere solent, ut extra, vel intra ecclesiam certis limitibus circumscriptum locum, seu repositorium habeant. Quod locum attinet (de iure enim postea Sermo erit) is ab Episcopo deligendus, atque dedicandus est, ut pro religioso habeatur. Neque enim ethnicorum consuetudo probanda visa est, quibus religiosus efficiebatur locus in quemcunq; mortuus illatus esset,

Yy quemad

quemadmodum initio huius Partis indicavimus. *c. abolenda de sepult. Quæst. est. 13. Q. 2. c. postquam c. precipiendum ead. Innoc. in cit. c. abolenda. Cornel. à lap. in c. 17. Gen. Silvest. V. Sepultura n. 1. Armilla. Tabiena eod. Parochiale Lochmayer c. 6. Zerolan 2. Connanus l. 3. c. 1. n. 4.*

II. Locum sepulturæ convenit propè ecclesiam esse, ut *Innoc. monuit in c. Abolenda de sepult. & usus ipse demonstrat. Silvester autem vellet nonnihil ab Ecclesiæ remotum esse propter sætorie: multò minus ergò in ipsa ecclesia sepeliendus quisquam est: quis passim aliter etiam ab ipso Silvestri Ordine fiat. Videmus tamen alicubi cæmæria ampla & magnifica, quasi 12. tabularum mandato extra urbes & oppida existere non tam sætorie elongandi causa, quàm ipsius terræ & fundi delectu, quo Ecclesia caret. Quod verò Angelus non nisi apud ecclesiam consecratam constituendum cæmeterium existimat humana, non angelica persuasio est nullo iuris fulcro sustentata. Sufficit enim episcopi designatio seu ut aliqui improprie vocant, consecratio *Tholos. l. 23. c. 23. Valens. l. 2. tit. 28. §. 1. Canis. l. 3. Inst. tit. 12.**

III. Non credimus, ait *Silvester*, quod *Rosella sequitur nu. 6.* quod alicui loco etiã Religioso, hospitali, vel huiusmodi possit accedere sepultura, nisi habeat ecclesiam. Expecto causam, aliàs nimis modicæ fidei est, cui hoc incredibile videatur. Omnem civitatem, & omne castellum ante ingressum habere cæmeterium, loquens de tuo tempore *S. Chrys. asserit in Or. de si. de & lege.* Idem usu receptum in Galliarum regno *Durantus fatetur l. 3. c. 23. n. 8.* An ubique coniuncta ecclesia fuit? Ne hoc quidem tempore, quamvis ut plurimum hos-

pitalia templis aut oratoris instructa sint. Episcopi munus est perspicere quid cuique loco conveniens aut necessarium sit. Dabit hospitali, dabit Xenodochio, gerentrophio & similibus, prout expedire iudicabit. *Inschus Conclus. 190.*

IV. Comuni iure sepulturæ locus ecclesia parochialis, vel eius cæmeterium est *c. Certificari de sepult. ubi Abb. videndus.* Nam ubi renascimur per Baptismum, pascimur per Verbum DEI, mundamur per pœnitentiam denique Sacramentis omnibus munimur, ibi convenit reponere exuvias defæctaque membra. *Clem. Dudum §. Veram de sepulturis. Roder. III. Q. 46. ar. 3.* Primis certe sæculis, antequam Mendicantium Ordinum subsidia Parochis accessissent, de alio cæmeterio, quam Parochiæ suæ, nemo cogitare videtur. Nunc autem, quemadmodum peregrinè intrantes Urbem, ubi cuique placet, diversorio recipitur, ita sepulturæ locus locum morituri deligunt. Attamen peregrini omnes, & qui aliam sepulturam non elegerunt, in parochiali ecclesia proxima vel illius cæmeterio humandi sunt. Pro leprosis consultum est, peculiarem locum assignare. *Parochiale Curatorum Lochmaier cum Panorm. Innoc. in Rubr. de sepult. Silv. nu. 8. Armilla num. 6. §. 12. Molina D. 215. Zerola Par. 1. V. Sepultura num. 1. Rosella num. 8. Lancel. l. 2. tit. 24.*

V. Intra ecclesiam humati primis Christianis ignotum & illicitum fuit *c. Nullus c. Quibus. c. Precipiendum 13. q. 2. ubi Io. ann. de Turrecremata.* Extat quoque Synodi Braccæ. Constitutio apud *Burch. l. 3. c. 157.* Constantinop. Imperatores, ait *Chrys. in Orat. Quod Christus Deus est.*

Et magni aestimabant corpora sua non prope Apostolos, sed extra eorum vestibula sepeliri, & *homil. 66. ad pop. Antioch.* dicit Constantinum Imp. magno honore affectum, quod pro foribus piscatoris, corpus eius humatum fuerit factusque sit Constantinus Piscatoris tanitor. Constat quoque Theodosium iuniorem, patrem quoque Arcadium, nec non avum Theodosium in dextra templi Apostolorum porticu sepultos. *Niceph. l. 14. c. 58.* Sed ista piorum Principum Religio non diu propria fuit, permissumque p. ulatim est causis ex ipsa religione eruitis, ut ecclesiarum praefides, ac Praelati, deinde presbyteri, tandem laici, quicumque intra templi limites sepultura mandarentur, ut clarè videtur in *c. cum liberum. de Sepul. Durantus de ritib. eccles. l. 1. c. 23. Zerola Pa. 1. V. Sepultura num. 1. Zecchus de Rep. Christ. c. 28.*

VI. Ritum hunc defunctorum in locis ad id consecratis corpora funerandi non corporis tantum, sed animæ causa quoque inventum esse complures observarunt. Corpus enim oculis subtrahit ne noceat, iniuriis ne pereat, & c. In nidulo suo quiescens; expetet vocem Angeli vocantis, Anima vero piorum precibus & votis sublevatur, facitque sepulcri monumentum, ne memoriam peidat eorum, quorum praesentia iam tum destituta est. Nec dubium viventium opera bona prodesse mortuis, qui sic vixerunt, ut prodesse possint. Atque in hunc sensum *S. Augustini verbal. l. 1. de civ. Dei c. 11. & 13.* intellige solatio vivorum esse funeris pompam, non verò subsidia mortuorum. Nam sicuti non obest iustis Sepultura quantumlibet vilis & neglecta, ita impiis non pro-

dest qualibet exquisita speciosa, & pretiosa. *c. Non aestimemus. cum sequentibus 13. Q. 2. Bellarm. l. 2. de Purgat. c. ult. Loricarius. V. Sepultura §. 11. Lancelot. l. 2. Inst. tit. 24. Durantus l. 1. c. 23. num. 11. & sequ. Grefser. 3. libris de funere Christiano Tholosan. l. 2. c. 13. & 14. Viguierius Institut. Theolog. et de Sacramento Penit. Vers. 33 de liberat. animar. à Purgatorio.*

§. II.

De iure Sepulcri

I. **C**onsuetudo obtinuit hodie, ut electio sepulturae nulli non permittatur, modo pubes sit, & specialis nulla prohibitio obstet. Impuberi filio deligere pater potest, nisi fortè loci consuetudo veteret. Matri idem permittitur cum Pater deest. *Tholos. l. 2. Synt. c. 13. Mol. D. 214. Armilla V. Sepultura n. 8. Navarr. de Sepult. Consil. 2. Laym. l. 3. Tr. 6. c. 11. n. 6. Zypaus in Enar. anal. p. 200.* Quin etiam alteri committere potes electionem, & variare usque ad finem dierum vitae tuæ, quamvis contrarium promississes. *c. 1. hoc et in 6. c. 1. de pactis eod. Riccius in praxi. decif. 663.* qui addit electionem sepulcri per testes singulares probari.

II. Regulares, à quibus *velle & nolle* sublatum est, non eligunt sepulturam, nisi fortè sic à proprio cœnobio procul distent, ut illuc non possint cadavera deferri. *c. ul. de Sepult. in 6. iun. Glo. Abb. in c. Nimis num. 2. de excess. Pral.* Quod si ita remotus non elegerit certum locum, in Parochiali ecclesia conceditur; nisi Ordinis sui vicinum monasterium sit, quod monasterium expensas præsta-

præstabat pro Sepultura. *Arg. l. si quis Sepulchrum. ff. de Religiosis, & sumptib. fun. ubi Prator.* Qui funeris causa sumptus factus erit, eius recuperandi nomine in eū, ad quem ea res pertinet, iudiciū dabo. Quod verò Prælatos attinet, qui Superiore carent, eligendi pro arbitrio potestatem habent. Sed an extra monasterium suum? posse, qui Superiorem non agnoscunt, tradit *Abb. in c. de uxore de sepul. Silv. Q. 2. Arm. n. 6. Rosella 11. nu. 2. Roder. To. III. Q. 60. ar. 1.* De iis, qui Superiorem habent, quales sunt Priores, & Guardiani, non liquet. Mea si quid prodesse liberalitas potest, lubens, volens concessero. *Sancb. l. 6. Mor. c. 14. n. 7. Rod. to. 3. q. 61.*

III. Ordinarius est Episcopus, & ab illo animatum curæ præfecti, à quibus petatur Sepulturæ locus etiam intra ecclesiam, cathedralem videlicet, & parochialem. *Abb. in c. Certificari. de sepul. nu. 8. Zypæ in Enar. anal. p. 201.* Postillos Religiosi privilegium habent recipiendi quoscunque tã in cimiterio, quàm ecclesia propria. *Cle. Dudum. Abb. nu. 6. Mol. disp. 214.* Hic autem Notandum est 1. huic iuri renuntiare posse Religiosos, & pacisci cum episcopo, & Parocho de non admittendis postulationibus sepulturæ: quod pactum, licet absit Generalis, & Provincialis consensus, validum erit, modò Superior immediatus & Conventus consentiant *c. 1. de pactis in 6. 2.* Cavendum prædictis Religiosis, ne cui Votum, aut iuramentum persuadeant ut nullibi, quam in sua ecclesia sepulturam eligant, vel semel factam, non immurent. *c. 1. de sepul. in 6.* Prohibitioni quadruplex poena annexa est 1. excommunicationis ipso iure incurrendæ, ac Pontifici reservatæ. *Clem. Cupientes de pœnis c. si. 2. ut talis*

electio pro nulla habeatur, & sepeliatur defunctus, ubi nulla electione facta sepultus fuisset. 3. Si quem sepelire contra hanc prohibitionem præsumperint, & restitutionem corporum, & ratione illius acceptorum teneantur. *c. Ex parte. c. cum liberum b. 1. 4.* Hanc restitutionem si intra decem dies non fecerint, eorum ecclesias, & cœmeteria tam diu interdico subiacebunt, donec fiat. *Roder. tom. 3. Q. 58. ar. 7. Tuschus Conclus. 194.*

IV. An religiosi, apud quos defunctus Sepulturam elegit, nõ recipere tantum corpus possint, sed & Parochiam processionaliter intrare invito Parocho querunt. *Franc. Zypausk. cit. & Andr. de Vaulx in Parat. l. 3. tt. 28. §. 3.* & conveniunt, ut hic, atque concordata locum habere, ceterum minimè licere. *c. Ecclesia 13. q. 1. Adidit Piascius Par. 2. c. 3. nu. 50. Leonis X. in Conc. Later. Constitutionem, & super ea declarationem Sacra Congreg. 12. Jan. An. 1603. edita, ubi dicitur, nulli Ordini Mendicantium aut non Mendicantium cuiuscumque consuetudinis prætextu permitti parochias cum cruce processionaliter, aur aliàs ad efferenda, & levanda defunctorum funera intrare vel illa levare, nisi vocato, & expectato proprio defuncti parochio, eoq; ibi præsentate. Monet autè *Roder. To. 3. Q. 25. ar. 1. in Leoni X. Constitutione Parochia nomen nõ significare ecclesiam parochialem, sed quam primò deferantur cada vera, indeq; à Regularibus levantur, sed locum, in quo degit populus alicui ecclesie baptismali assignatus, ac certis limitibus terminatus: & per hunc velle Pontificem, ne transeat processionaliter Fratres, nisi præmonito Parochiano presbytero, cuius recusatione nõ obstare possint cū cruce sua, parochiam intrare,**

intrare, sine tamē ejus, & ordinarii præjudicio, quod præjudiciū cōsistat in negatione quartæ funeralis. *Sily. q. 4. Oldrad. Consil. 23. Zerola part. 2. V. sepultura. n. 3.*

V. Famuli Domestici Mendicantium Ordinum, etiam Societatis Jesu, qui intra limites Monasteriorum obeunt, in Ecclesiā, vel cœmeterio Monasterii, aut Collegii quantumlibet invito, & repugnante Parocho humari possunt, sine debito, & obligatione solvendi portionem Canonicam. *Molin. disp. 214. Roderic. Tom. 2. q. 68. art. 2.* Addens, etiam interdicti tempore eadem solennitate, qua Fratres sepeliri. *Comp. Privit. Societ. IESV. V. Famil. §. 1. Idem de Novitiis, & potiori jure dicendum, sive intra, sive extra Monasterium retento habitu decedant. Roder. To. 1. q. 39. art. 4. & Tom. 3. q. 61. art. 4. Laym. l. 3. Tract. 6. c. 12.*

VI. Electione sepulcri non indigent, qui Familiare vel hæreditarium habent. Familiaria dicuntur, quæ sibi quis, & familiae suæ constituit; quorum jus non transit ad cognatos, vel affines, si non instruantur hæredes. *l. ius familiarium C. de relig. & sumptib. fm. hæredibus tamen licet extraneis competat. l. is, consequente ff. Familia hereditaria sunt, quæ nobis, & hæredibus nostris procuramus. l. 6. ff. de religiosis &c. vel quod paterfam. jure hæreditario acquisivit. Covarr. inc. Raynurius §. 9. num. 23. Molin. disp. 188. §. 5. Etiam si hæres Vallens. l. 3. rr. 28. §. 4. num. 4.* addens non licere pactum, ne in Sacello aliquo præter posteros fundatoris alius sepeliatur; & tali pacto nostro obstante Prælatum urgente necessitate, ut si alius locus non sit, alios inibi humare posse. *Archid. in c. Præcipimus 12. qua. 1. Lud. Rom.*

singul. 189. Zoësius de rep. Christ. c. 28. m. 16. Tuschus Concl. 191. ulterius concedit Jus sepulcri extraneis legari, donari, & cum universitate bonorum alienari posse.

VII. Quia viventium unio, & affectio morte non solvitur, sed perdurare creditur, eaque major inter patrem, & filiū, quàm nepotem, & avum esse solet, si in diverso sepulcro conditus fuerit avus & pater, cum hoc, non cum illo sepeliatur filius. Frater autem, & soror in eodem tumulandi sunt, *c. Vnaquaque 13. quest. 2.* Filii verò naturales in sepulcro patris, nisi hic in dignitate fuerit constitutus. *arg. l. ex facto §. si quis ff. ad s. C. Trebell. Spurius, & legitimati à Principe cum matre sepeliuntur, nisi hæc illustis sit. l. 1. ff. ad municipalem, vel aliud à patre constitutum sit. Legitimi verò, & naturales cum patre, licet hæredes illius non existant. c. Hebron. 13. q. 2. Oldr. Consil. 25. & 257. Decianus l. 6. c. 40. num. 21. Barb. in c. Cum quis de sepul. in 6. Silvest. quest. 8.*

VIII. Uxor non electa sepultura cum viro sociabitur, ut non separet mors, quos vita conjunxerat. Si nupta pluribus fuit, ultimi sepulcro condetur, quamvis in paternam domum vidua redisset. Non n. loci hoc, sed personæ privilegium est. Si ante maritum decesserit, vel majorum sepulcro, si maritus non providit aliud, vel ubi placuerit, requiescet. Quid autem, si sepulturam ipsa elegit, & ante maritum decessit, hic, qui nullam elegit, nunquid illam sequetur? Consuetudo docebit *c. is qui de sepul. in 6. Rosella n. 15. & 16. Canis. l. 3. de resul. rr. 12.*

IX. Neque jus sepeliendi, neque officium funebre, neque locus sepulturæ dedicatus aut consecratus vendi, & emi

potest absque Simonia. *c. abolende ubi Innoc. Archid. c. dictum 1. q. 1. c. precipiendum 13 q. 2. c. in Ecclesiastico de Simonia.* Terra verò seu locus nondum consecratus comparari pretio potest. *c. Aurum 12. q. 2.* Neque hic aliter ratiocinandum, quàm de vasis, & suppellectile sacra vendenda. Ubi *S. Thom. in 4. Dist. 25. quest. 3 art. 2.* distinctio valet, in necessitate aurum vendi, non consecrationem, nec idè, quia consecrata res est, pluris æstimari. De reliquiis & similibus idem Summistæ docent. *V. Tabienam V. Simonia n. 37. & 38.* qui addit simoniam esse, quando pecunia taxatur pro hoc vel illo cœmeterio, cum plura sunt: quod ex intentione dantium, & accipientium pendet. *V. Zerol. part. 1. V. sepultura.*

X. Aeris alieni & debitorum causa nullius differenda, aut impedienda sepultura est. *l. cum sit injustum C. de sepulc. viol.* nec inferri ulla molestia debet intra decem dies ab obitu, & quicquid attentatum fuerit irritum, & inutile est. *Auth. sed nec ante C. de sepulc. viol.* Si quis verò ad domum defuncti accedens ipsam, vel domesticos divexet, vel insignia rebus ipsius affigit, ipso jure actionem perdit, & condemnatur hæredibus injuriatur in compensam, tertia ipsius bonorum pars publicatur, & est infamis. Idem juris de eo est qui circa funus peccat. *Angel. num. 34. Sylv. num. 12. Tabiena num. 19 Covar. l. 2. Var. c. 13 num. 10. Layman l. 3 tract. 6. c. 12. n. 10. Navar. de sepult. Consil. 4.*

XI. Quod funeris expensas attrinet, eas præstare tenetur hæres illorum, quibus succedit: pater respectu filiorum, Dominus respectu servorum, maritus uxoris. *l. 1. ff. de religiosis, & sumptibus. fun. l. si*

quis ff. eod. Si uxor dotem habet, ex illa fiet, si simul alia bona, de his, & illa prorata. *l. Neratius ff. eod.* In horum defectu vir de suis. Aliqui malunt hoc onus hæredibus imponere, quos mulier reliquit. *l. quod si nulla ff. de relig. & sumpt. fun. Decianus l. 6. c. 40. num. 49. Sylv. V. Hæreditas III. num. 3. Item V. sepultura q. 12. 14. & 15. Tabiena num. 22. Lorichius eod. §. 9. Eman. Sa. V. sepultura num. 11. Rosellus n. 21. Patrochiale Curatorum Lochmayer c. 6.*

XII. Statutum à Laicis factum, de quota sumptuum, ne quis ultra summam definitam amplius quid expendat, irritum est. Quamvis enim non videatur esse de re aliqua spirituali, est tamen de connexis, piæ causæ nocet, & intentionem morientium limitat. *c. cum Laici de reb. Eccl. non alien. ubi Innoc. III. contra Laicos queritur, quod de mortuariis, aliisque, quæ juri spirituali annexa videntur; illicitè præsumant. Quod de mortuariis dicitur, Marta de Jurisd. part. 4. intelligit de impensis, quæ fiunt in remedium sive solatium animæ defuncti, non verò de iis, quæ fiunt ad pompam vivorum. Idem prius scripserat Imola, & Panor. in c. si. de reb. Eccl. non alien. valere scilicet ejusmodi statuta quatenus disponunt de iis, quæ non applicantur Ecclesiæ. Angel. V. sepult. num. ult. V. Immunitas num. 47. Armilla V. exequia num. 2.*

XIII. Cajus hæredibus suis præcepit, ut corpus suum non sepelirent, quid factum opus?

Resp. Plerique Summistæ, non esse parendum, allegando *l. qui dam de conditioni. institutionum.* Sed ibi de eo tantum questio proponitur, qui corpus suum iussit in mare projici, quod propter inhumanitatem

nitatem merito non recipitur facien-
dum. Manet ergo dubium de eo, qui ju-
bet non inferri sepulcro corpus suum,
sed extra illud feruari; de quo una reso-
lutio non videtur suffectura, nisi de cau-
sa motiva constiterit. In dubio consulen-
dus erit Episcopus.

§. III.

De indignis sepultura.

In loco sacro humandi & sepeliendi
sunt omnes sacro baptismo abluti.
c. nullus in Glo. 13. q. 2. c. Eccl. de consecr. Dist.
1. nisi obiter excommunicatio, interdi-
ctum, prohibitio, contuetudo, vel impoe-
nitentia. Unde etiam ad mortem damna-
tos sepelire in loco sacro fas, quando pœ-
nitentes obiisse certum est. *Abb. 25. DD. in*
c. ex parte. n. 4. de sepult. Aliquando tamen
velin exaggerationem pœnæ vel aliorum
comminationem & exemplum cadavera
insepulta maneat. *Covar. l. 2. Var. c. 1. ex*
eo, quod nulli quisquis flagitiosissimo
petenti Sacramentum pœnitentiæ negari
potest, se qui necessitudo existimat, neque
sepulcrum negari posse; imò nec con-
suetudinem induci, ut damnatis ultimo
supplicio non permittatur sepultura Ec-
clesiastica, nec Judices illam negantes à
peccato immunes esse. ex Clem. 1. de sepult.
Petrus Ravenn. probat, quod verum, si abli-
querationabili causa id faciant. Cense-
tor autem sufficiens causa quam supra
indivimus, pœna, & exemplum. Torre-
blanca 3. Demonolog. c. 31. Clarus §. fin. q. 51.

II. Duodecim conditionibus persona-
rum, *air Angelus n. 13. Ecclesiastica sepul-*
tura interdicitur, vel negatur, i. non bap-

tizatis, inter quos numerandi etiam in-
fantes Christianorum parentum, hære-
ticis item licet post mortem primò dete-
gantur *c. Ecclesiam de consecr. Dist. 1. c. Sanè*
24. q. 2. Adde Catechumenos, pro quibus
tamen, si credentes decesserint Ecclesia
orat. Palud. in 4. Dist. 4. q. 3. art. 1. ex S. Am-
brof. de obitu Valent. Imper. 2. Excommu-
nicatis, ne mortuis cõmunicemus, quos
vivos execrati sumus c. ex parte c. sacris h-
r. Clem. 1. eod. Intellige non de minori, ut
frustra quidam, sed majori excommuni-
catione. 3. Uirariis publicis, ac notoriis.
c. quia in omnib. de usur. c. quanquam eod. ti-
tulo in 6. & Clem. 1. eod. Intellige post latam
condemnationis sententiam. 4. Illis, qui
sibi ex proposito, ac sponte impias ma-
nus mortemque intulerunt. c. placuit. 24.
q. 5. c. quib. 13. q. 2. nisi pœnitentiam ege-
runt. Igu Lopez in part. crim. c. 17. n. 11. 5. In-
terfectis in duello vel torneamento, seu
hastiludio ubi est probabile mortis peri-
culum. Con. Tr. s. 25. c. 19. 6. blasphemis
impœnitentibus. c. statumus de malef. 7.
Raptoribus non satisficientibus. c. 2. de
raptoribus. 8. Furibus, & latronibus in fla-
granti delicto occisis: non verò, si com-
prehensi, vulnerati, & ritè confessi fue-
rint c. Fures & latrones. 14. q. 2. 9. Nomi-
natim interdictis. Clem. 1. de sepultur. 10.
Qui tutorem presbyterum in testamen-
to constituunt. c. ubi. Dist. 88. 11. Qui ne
semel quidem in anno confessi sunt, qui-
que Paschali tempore Eucharistiam non
sumplerint. c. omnis utriusque de pœnit. &
remiss. 12. Monachis qui post mortem
deprehensi fuerint cum peculio, ac
propriarii. c. Monachi 2. c. super quo-
dam 4. c. Cum ad Monasterium §. quod si pro-
prietas de statu Monachor.

Denique

Denique omnibus illis deneganda sepultura est, quos de vita turpiter, & scelerate acta nullam egisse poenitentiam constat, quemadmodum Romae fit meretricibus in foeditate sua miserabiliter extinctis. *c. pro obeuntibus* 13. q. 2. de poenitentia & contritione in extremis monstrata unicus sufficere testis potest *Zecchus de rep. Christ. Ang. Sylv. Armil. Tabiena. Marchant. in Horto. Pastor. part. 7. tract. 6. c. ult. Roderic. Tom. 11. q. 61. art. 1. & Tom. IV. Tit. 4. c. 14. num. 36. Navarr. c. 2. de poenit. Dist. 7. Laym. l. 3. tract. 5. c. 12. num. 10. & seq. Lorich. V. sepultura §. 6. Duenas in Reg. 589. Vallenf. l. 3. tit. 28. §. 7. Barb. in c. ex parte de sepulte. Possen. l. de Curato c. 14.*

III. Horum aliquis si in loco sacro sepultus fuerit, praeter excommunicationem sepelientibus positam. *c. quicumque de hered. in 6. exhumandus est, cum fieri commodè potest. c. sacri de sepult. c. Ecclesiam* 1. & 2. *Dist. 4. de consecr. Ecclesia tamen non idè polluta censetur, nec reconciliatione indiget, nisi in ea conditus fuerit infidelis, aut nominatim excommunicatus, quo casu etiam parietes radi debent. c. Ecclesiam 2. Dist. 1. de consecr. Sylv. V. sepultura q. 9. Armilla v. 19. Barb. in c. sacri de sepult. Bonac. Tom. 111. D. 2. q. 2. Roderic. l. cit. Vallenf. l. 3. tit. 28. §. 7. Camisius l. 3. Decretal. tit. 12. Marchant l. cit. Si in aliqua Ecclesia sepultus fuerit, qui ad aliam jure pertinet, exhumari & restitui debet, cum omnibus oblationibus, si petantur. *c. ex parte & c. cum liberum de sepult. Ost. Panor. & Barb. in citatis capit. annotans corpus non restitui per viam attentati, sed per sententiã definitivam in judicio ordinario, & principali latam. Idem & multò magis faciendum, si quis alio pertinet**

funus per vim rapuerit. *Armilla l. cit. Roderic. tom. 111. q. 61. art. 3. Farinac. l. 1. de del. & poen. c. 20. n. 136.*

IV. Denique interdicti tempore generaliter omnibus sepultura denegatur excommuni. indicta sepelientibus, exceptis Clericis & Regularibus, quibus speciali privilegio permittitur *c. quod in te de poen. & remiss. c. alma de sent. excom.* De modo & conditionibus *V. Fill. tract. 18. c. 4. n. 94. Quod in Ordinibus Mendicantium extenditur etiam ad familiares, & officiales quemadmodum Roderic. declarat. tom. 11. q. 115 art. 1. Navar. c. 27. num. 179 Armilla V. Interdictum num. 48. Tabiena num. 11. & 12. Avila part. 5. D. 4. Sess. 3. Dub. 2. Laym. l. 3. tract. 5. part. 4. c. 2. num. 3. Henric. c. 44. n. 1. Bonac. 111. D. 2. q. 2. ubi notat probabile esse comitantes funus hominis excommunicati, terram fodientes, vel etiam mandantes sepeliri, non incurrere excommunicationem, sed eos tantum, qui propriis manibus sepeliunt. Quod majori discussione indiget.*

§. IV.

De portione Canonica, seu quota funerali.

I. **P**ortio Canonica duplex est Episcopalis, & Parochialis. Nomen habet à Canonibus à quibus constituta vel approbata est. Funeralis dicitur, quia pro funere & propter funus praestanda. Alicubi dimidia pars, alicubi tertia vel minor, alicubi quarta pars in usu est, & hæc frequentior. *c. requisisti de testam. c. cum super c. relatum eod. Unde spectanda, & sequenda consuetudo est. c. certificari Barb.*

Barb. & DD. eodem. Sufficit autem si Ab-
bati credimus 10. annorum consuetudo,
quando non est contra, sed præter jus.
Est etiam suus pactis, & concordatis lo-
cus. *c. ult. de pactis in 6. Concil. Trid. quoque*
Sess. 25. c. 13. decernit, ut quibus in locis
jam ante 40. annos quarta, quæ funera-
lium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali
Ecclesiæ solita fuerit persolvi, eadem in-
tegro jure, & eadem portione, ut ante,
eidem Ecclesiæ persolvatur, non obsta-
ntibus concessionibus gratis, privilegiis,
etiam *Mare magnum* nuncupatis, aut aliis
quibuscunque. *V. Rodericum tom. 1. q. 39.*
art. 1. & sequ. Parochiale Curatorum Loch-
mayeri c. 7.

II. Prædicta portio debetur, & detra-
hitur ex omnibus, quæ obveniunt ratio-
ne funeris, unde funeralia approbantur:
in ipso scilicet die funeris, & de omnibus
legatis Ecclesiæ factis, in quâ, vel ad
quam eligit sepulturam. *c. in nostrâ de se-*
pult. & Clem. Dudum eod. Nec distinctio
inter mobilia, & immobilia facienda est.
Azor. II. l. 9. c. 13. q. 13. Piafec. part. 2. c. 3. n. 50.
Non detrahitur autem ex iis, quæ aliis
Ecclesiis, aut piis locis relinquuntur. *Glo.*
& Abb. in c. 1. & c. cum super c. certificari.
h. tit. Neque ex legatis, pro ornamentis
Ecclesiæ, pro fabricâ, luminaribus, anni-
versario, septimo, tricesimo, sive aliis ad
cultum divinum perpetuum assignatis,
modò absit fraus, nec jure suo Episco-
pus, vel Parochus privetur. *c. fin. de testam.*
c. ex parte nostrâ 31. de verb. signif. Præterea
non sumitur ex donatis Ecclesiæ inter vi-
vos: neque de equis, & armis, quæ indul-
ta sunt militibus Jerosolymitanis in sub-
sidium terræ sanctæ *c. in nostrâ h. t.* Deni-
que non de relictis pro satisfactione, &

restitutione malè partorum. *Innoc. in c.*
relatum Azor. tom. II. l. 9. c. 13. Angel. V. Ca-
no. portio num. 14. Sylv. eod. num. 7. Lal. Zec-
chus de rep. Christ. c. 28. Molina Disp. 215. Val-
lensis l. 3. tit. 28. §. 5. Rodrig. tom. 1. quest. 39.
art. 1. & 2.

III. Licet quis extra Ecclesiam suam
Parochialem alio in loco sepeliatur, ni-
hilominus quarta funeralis debetur Ec-
clesiæ Parochiali, in quâ divini verbi præ-
dicationem audivit, & Sacramenta per-
cepit, vel audire & percipere debuit, pro
labore nimirum, & cura animarum,
quam Curatus gessit. *c. requisisti de testam.*
c. relatum eod. Vbi Barb. notat electionem
sepulturæ non idèò invalidam esse, quæ
quarta funeralis non est legata à defun-
cto, sed eam deberi, etiamsi non relin-
quatur, ut multis declarat *Gr. Lopez l. 5. tit.*
1. part. 1 & Miranda in Manu. Prælator. to II.
q. 48. art. 11. Concl. 1. quibus etiam subscribit
Roder. tom. 1. q. 39. art. 6. Quod domicilium
in duabus parœciis habet æqualiter, vel
in una solitus est audire divina, in alia ve-
rò Sacramenta percipere, cum in una
tantum sepeliatur, an soli illi debeat
quarta funeralis, quæritur? *Silvest. illi*
tribuit, in qua Sacramenta percepit,
quod illa propriè Parochialis censetur:
Innocentius V. Archid. & alii melius sen-
tiunt, dividendam esse. *Azor. II. l. 9. c. 13.*
quest. 9.

IV. Ordines religiosorum Mendican-
tium ab obligatione solvendi justitiam
Parochorum, seu Canonicam portio-
nem, multis Pontificum privilegiis con-
cessis liberos esse probat Compendium
Privilegiorum FF. Minorum & in *V. Ca-*
nonica portio. & fatentur alias parum be-
nigni & æqui Canonum interpretes,
inter

inter quos *Andr. de Vaul. in Paratitlis suis l. 3. tit. 28. §. 5.* cum Zypzo mentem Pontificum esse scribit, ut Religiosi privilegiis suis civiliter & urbane utantur: Pium V. declarasse hanc sibi mentem fuisse, ut Parochi invitentur, quoties eorum Parochiani in Ecclesiis Mendicantium sepeliuntur, ibique presentes sint: ac propterea quartam partem consequantur omnium quæ ab hæredibus defunctorum pro funeralibus dantur. Officia tamen mortuorum, & alia munia, quæ in huiusmodi Monasteriis adhiberi solent non à Canonicis, Parochis, ac Clero, sed ab ipsis fratribus peragenda esse. *Mar. Anton. Genu in praxi Neapol. c. 62.*

V. Quia verò privilegium hoc per se aliis grave, & nocivum videtur, pro Parochis novissimè colligit Barbosa, quæ sequuntur. 1. Parochi defunctorum apud Regulares humandorum corpora, usque ad ipsam Ecclesiam associare, & in illis permanere possunt, modo enim se intromittant Officio peragendo, nisi contraria consuetudo. *Sa. Congr. Episc. & Regul. in Nicoterensi 6. Jul. 1615.* 2. Parochus nullatenus excludendus est, quamvis ad sepeliendum cadaver Regulares dantur à defuncto accersiri jubeantur. *Sa. Congr. Ep. & Regul. in Montisphilosi 1581.* 3. ad Parochum spectat, declarare, per quam viam sit exportandus defunctus, & facere omnia necessaria usque ad januam Ecclesiæ Regularium, ubi sepeliendus est. *Ead. Congr. in Castellanat. 3. Jan. 1594.* 4. Parochi occasione cadaverum in Regularium Ecclesiis humandorum prætere posse quartam funeralium ceræ Ecclesiæ Parochiali debita. *Ead. Congr. in Barensi 29. Jul. 1616.* 5. Parochi licentia seu inter-

ventus requiritur, ad hoc ut Regulares possint defunctorum funera in ejus Parochia levare, nisi ipse requisitus venire expresse omnino recuset. *Sa. Congr. Rituum in Cataniensi 18. Octobr. 1619.* 6. Parochus si sit in quasi possessione faciendi Officium supra defunctos suæ Parochiæ, etiamsi sepeliantur extra Parochiam in quacunque Ecclesia sive Regularium, si ve sæcularium vel abbatialium, manu tenendus est. *Ead. Congr. in Ravennat. 28. & 31. Aug. 1615. Barb. Summa decisi. Apost. n. 358.* Illa quomodo cum privilegiis Ordinum Mendicantium in Compendio privileg. FF. Minorum, & apud Summissas, qui ex iisdem Ordinibus, præsertim Roderic. in Tom. 1. q. 39 conveniant, aliis relinquo, jam pridem conscius, ut materia hæc lætæ & lanam (phrasi legitica) sic licet importare, cujus umbram quandam habes apud Erasmum in Colloquio Foxus.

VI. Eadem libertate non præstandi quartam funeralem gaudet Ordo Cisterciensium, & quicumque alius à tempore Cone. Trid. retro 40. annis in jure & possessione non præstandi quartam funeralem fuit. Nolutse enim *Conc. Trid. Patres in Decreto suo Sess. 25. c. 13.* jus quantum Ordinibus Religiosis auferre bene advertit *Roder. Tom. 1. q. 39. art. 2.* Consuetudo igitur, & præscriptio hic quoque vim suam obtinet. *T. Molin. Disp. 215. Angel. V. Canonica portio num. 14. Silv. num. 15. Armilla num. 17. Tabien. num. 11. Layman l. 3. tract. 5. c. ult. num. 13. Em. Sa. V. sepultura num. 10. Piafec. part. 2. 6. 3. n. 50.*

§. V.

Satisfit Dubius de sepulturâ.

DUB. 1. An sine Episcopi consensu locus sepulturæ alicui pretio dari possit in Ecclesia?

Resp. Tribus modis contingit ejusmodi locum dare, & acquirere 1. ut ejus dominium obtineat. 2. ut habeat potestatem in eo tumulandi mortuos suos, & excludendi alios. 3. ut in eo aliquem sepelire possit. *Innoc. Panorm. in c. abolenda de sepult.* Primo modo ne quidem cum Episcopi cōsensu locus sepulturæ dari potest in Ecclesia, quia rei sacræ dominium nulli cōpetit. Secundò modo non potest dari sine auctoritate Episcopi, sed cū illa fieri p. & servata forma in alienatione rerum Ecclesiasticarū servanda. Transferitur enim usus rei sacræ, quāvis maneat p. nes Ecclesiam quoad substantiam. Tertio modo potest dari à quolibet aliàs habente jus sepulturæ, sive sit Parochus, sive Regularis privilegiatus, ut passim videmus factum in Ecclesiis Ordinum Mendicantium. *Navar. de sepult. Consil. 1. Clement. Dudum. de sepult. Decianus l. 6. c. 40. num. 19. Zypau de iurisd. Eccles. l. 2. c. 83. num. 36. Rosella num. 2.*

DUB. 2. An qui proprium locum seu capellam habet pro se, & suis sepeliendis alios admittere possit?

Resp. Possit, modò non fiat in præjudicium Episcopi, cui ex singulis funeribus portio aliqua debetur. Nam sine præjudicio tertii privilegia donantur *c. ex ruarum de auct. & usu pallii ubi Glossa in V. permittat*: nec Papa conferre solet

beneficium, in quo alius acquisitum jus habet. Requiritur præterea, ut non obstat in contrarium facta conventio, vel prohibitio. E contra illi, in quorum Ecclesia est ejusmodi locus, cum aliis concedere absque consensu illius, cui semel addixerunt, minimè possunt, ne datæ fidei violatores audiant. *Armilla num. 24. Zerola part. 2. V. sepultura num. 1. Decianus l. 6. c. 40. num. 26. Tuschus Conclus. 191.* Usus enim sepulchri in nostra potestate, quicquid de proprietate sit, quam bonis civilibus annumerare non audeat. *Anchar. Consil. 113.* quem scrupulum distinctio in §. *praced num. 9.* indicata facile tollit.

DUB. 3. Utrum infans non solenniter baptizatus omiſſis ritibus propter necessitatem in loco sacro sepeliri possit?

Resp. Possit, ac deberi, quia Regularis est, quòd omnis Christianus in loco sacro sepeliri debeat. *arg. c. Ecclesiam de consecr. Dist. 1. & c. totis de sepult.* Supponimus autem prædictum puerum virtute Baptismi essentialiter perfecti fidelibus annumeratum esse: nec ullo speciali jure contrarium definitur. Ergò potest & debet sepeliri cum solennitate crucis, luminaribus & aliis de more ritibus. Sacramentalia enim sicut adhibita non conferunt ex opere operato gratiam, ita omiſſa nihil detrahunt de virtute, & characterè Baptismi possunt. *c. in Ecclesiastico 13. q. 2. Ostiens. in Summâ. tr. de consecr. Eccles. Navar. de sepult. Consil. 2. Layman. l. 3. tr. 6. c. 12. num. 10. Vallens. l. 3. tr. 28. §. 7. q. 1.* Idem dicendum de illis infantibus, quibus in utero hærentibus, manus aut pes exertus aqua baptismali tinctus est. *Bern. Posseu. de Curato. c. 14. n. 4.*

Zz 2

DUB. 4.

Dub. 4. An qui in actu criminoso occiditur, furto, fornicatione & similibus sepeliri in Ecclesia, vel sacro loco possit?

Resp. Non posse. Contritio enim, vinctus à peccato liberamur, & divinæ gratiæ participes efficiamur, quia in facto consistit, non præsumitur. Unde *Concil. Tribur. in c. Fures. de furtis.* pro illis non esse orandum statuit, qui inter furandum, & prædandum occiduntur. Ex quo generaliter concludit Barb. pro nullo orandum, qui in flagranti aliquo delicto occiditur, neque oblationem in Missa fieri posse, tanquam pro eo, qui est in publico peccato obstinatus, & excommunicatus. *Basil. Ponc. de imped. matrim. c. 35. ci. fi. existimans* hic agi de raptoribus rerum Ecclesiasticarum, in quos lata est excommunicationis sententia. *Rodericus vero To. III. q. 61. art. 2. de illis intelligit,* qui furando, rapiendo, vel aliàs mortaliter delinquendo occiduntur. *V. Layman. lo. cit. nu. 12.* Idem aliqui dicendum putant de meretrice, quæ post peractam in Paschate confessionem, & communionem in domo veteris amasii sui multis vulneribus occisa reperitur. Sed privandam non esse sepultura probat Navarrus 1. quia in dubio præsumi potest eam inductam in domum amasii ab ipso non meretricandi causa, sed ut vindictam lameret de aliqua injuria, quæ sibi ab ea illata putavit. 2. quæ cum antea communicasset, probabile est, cum imminens periculum cerne-
ret, nomen Jesu invocasse, & alia penitentis animi signa dedisse, quod sufficit ad concedendam sepulturam, quando contrarium non constat. *c. à nobis de sent. excomm. Rodriq. To. III. q. 61. ar. 2. Nav. de sepult. Consil. 6. Zer. par. 2. V. sepult. §. 2. an meretrix.*

Dub. 5. An privandus sepultura, qui in duello occisus est, edito prius aliquo penitentia signo vel etiam data absolutione? *Con. Tr. S. 25. c. 19.* præter alias penas monachis constitutas etiam Ecclesiastica sepultura privandos decernit. *Si in ipso conflictu decesserint,* perpetuo careant Ecclesiastica sepultura. Quid verò velint illa in ipso conflictu decedere, obscurum est. Titius ex. gr. in duello lethaliter vulneratus non continuo moritur, sed humi jacens, dolere se de peccatis suis ostendit, eo, quo potest modo, confitetur, & absolvitur, ac tandem expirat, si in ipso conflictu censetur mortuus, de sepultura concedenda dubium est: si extra conflictum, non videtur superesse dubitationi locus. Pro affirmativa parte est calamus historicorum omnium, qui in pugna prælio, vel congressu obisse scribunt, quicumque in loco prælii reperiuntur occisi, sive statim à vulnere, sive aliquo intervallo post. Deinde pro fure manifesto habetur, & judicatur deprehensus in delicto, quando rem sublatam nondum detulit, quo intendebat. In ipso conflictu igitur occisus dicitur, qui in loco, ubi pugnatum est, occubuit. Contra ita intelligi posse videtur, quemadmodum in *l. heredes 21. ff. de testam. §. ult. & C. eod. l. cum antiquitus.* ut in conflictu obisse censetur vulneratus, nisi inter vulnerationem, & mortem alius actus intercesserit, uti ponimus hic actum penitentia & absolutionem intercessisse. Adde, quod *Zyp. teste,* Archiep. Mechliniensis *A. 1629. 19. Mart.* in notabili quatuor comitum duello mortuum, quia à Parocho absolutus erat, ex præclarorum Jurisconsultentia Eccles. sepultura non privavit.

Resp.

R. Igitur cum in iure nullibi legamus expressè prohibitum, favore Sacramenti pœnitentiæ, quando constat, confessum, & absolutum esse, quamvis in loco duelli occisum ecclesiastica Sepultura recipi posse, non obstantibus quæ in c. *Felcis memoria de torneam.* legimus ecclesi. Sepultura privandum, qui mortuus fuerit in torneamento, quisquis ei postea pœnitentia non aegeret quoniam id eo tempore constitutum est, quo torneamenta tanquam fericæ, & nundinæ agebantur legum Sacratum contemptu addito. *Tholos. l. 39. c. 5. nu. 31.* Si quis tamen ecclesiasticus iudex rigorem illum censuerit in casu particulari necessarium esse, poterit citati capitis auctoritate resistentes sibi abigere & coercere. *Zyp. l. 5. Consult. l. de pugnanti. in duello. Angel. V. Sepultura nu. 29. Silv. ead. n. 9. Armilla n. 17. Reginald. l. 21. c. 7. n. 75. Bonac. de Censur. disp. 2. q. 6. pun. 12. Moses in sum. Theol. Mor. To. 2. Tract. 7. c. 18. Filluc. Tr. 15. nu. 103 & Tract. 29. c. 8. nu. Tolet. l. 5. c. 6. num. 32. & 33. Navar. c. 11. n. 39.*

D. 6. Non minor difficultas est de homine, qui in domo sua, vel conclavi suspensus reperitur.

Navar. ita proponit. Quidam monachus manè confessus, & absolutus, qui tota die, & Vespera stetit lætus, fuit inventus manè mortuus intra cellam suam ostio clauso, habens laqueum pendentem ex collo, ipse autem non pendeat, sed quasi genu flexus extabat: quæritur, An possit, & debeat in loco sacro sepeliri? Respondet verò, prædicti monachi cadaver debuisse in loco sacro sepeliri, & ex profano loco, ubi humatum fuerat, transferendum esse in locum Sacrum, tum quia omnis Chri-

stianus, si fieri potest, in loco sacro sepeliendus est. c. *Ex parte. de Sepult.* nisi in casibus exceptis: tum quia de nemine præsumendum est, quòd deliquerit, præsertim tam grande delictum & abominabile conditioni & inclinationi humanæ, & maxime de confesso, & communicato eodem die. Vnde mulier incidens de cymba in fluvium iubetur sepeliri in loco sacro, etiam si fugiendo cecidisset, quia non præsumitur voluntariè se ad occidendum deiecit. Idem dicendum de eo, qui in puteo, vel cisterna suffocatus invenitur, maxime si mores, & antea vita probabilis fuerit. Memini cuiusdam Ecclesiæ Collegiæ Canonicum recens à Scholis abstractum, cum in puteo domestico mortuus inventus esset, nec quisquam dubitaret, seipsum præcipitasse propter improbè exactam iuventutem, in peristylis ecclesiæ sepulturam, minus tamen honorato loco obtinuisse, ne videlicet negata Sepultura nimium præsumptioni tributum esse videretur. *Navar. Consil. 7. de Sepulturis. Em. Sa. V. Sepultura n. 6. Ign. Lopez in Pract. Crim. 6. 37. n. 12.*

Dub. 7. An quilibet regularis, apud què defunctum pecunia reperta est, ut proprietarius Sacra Sepultura carere debeat?

R. minime, sed in eiusmodi casibus magna cautione, & prudentia opus esse, nec permittendum, ut veritati, & innocentie Zelus prævaleat. Sacri canones enim non privant Sepultura monachum quemcumque, in cuius cella post mortem bursa cum pecunia reperta est, sed eundem duntaxat, qui de pecunia monitus à Superiore non resignavit. Cum enim eiusmodi pœna gravissima sit, non est infligenda

homini non audito, nec legitime condemnato, quod post mortem fieri non potest. Pecuniam occultè habuit, nec mortuus indicavit, aut resignavit. Fateor, at quo consilio, & intentione habuerit, cur non resignavit, ignoramus. Quid si voluit, & morbo impeditus non potuit? quid si ab aliquo Superiore licentiam habuit? quid si ab alio ad breve tempus custodiendam? Hæc & similia, quoniam usu venire possunt, non est temere condemnandus, quem aliàs nemo accusat, vel convincit: sed potiùs vitæ status, & religiosi mores commendant. Confirmatur ex doctrina *Silvestri*, qui *V. Sepultura num. 10.* ei, qui intra annum non est confessus, nec communionem accepit, non posse à parochio negari sepulturam dicit, quod in dubio præsumatur non immemorem suæ salutis fuisse. *c. Sancimus 1. Q. 7.* potuit enim alicui Regulæ confiteri, & illius mandato communionem omittere. Similiter itaque potest, & debet de tali monacho præsumi, quod ab aliquo Superiore vitæ vocis oraculo licentiam fuit consecutus, ut apud se dictam denariorum bursam retineret, quam in morte oblivione, aut infirmitate absorptus non resignavit: quod eò magis verum, si Sacerdos fuit, cui propter tantæ dignitatis excellentiam maximè est deferendum. *Ita fere Roder. Tom. III. q. 61. artic. 1.* cui minor exempla defuisse, cum nec rara, nec pauca supersint. Viri admodum Religiosi, & senio confecti, qui cum magna Sanctioris vitæ opinione decessit Sepulturæ interfici, inter cuius feruta cum aliquo d. nummorum esset inventum, nemo aliud suspicatus est, quam quã pro pauperibus in eleemosynã colle-

gerat, oblitum esse, ne distribueret. Item Superior de meis quidam pecuniam præter Ordinis morem in diuturno morbo reposuerat in cistella quadam; qua post mortem reperta provinciæ præses solum oblivionem accusavit, qua corpori malè affecto nihil facilius. In alio quodam dementiæ opinio pro exculpatione valuit. *V. Nigron. in Reg. 7. Commun. nu. 22.*

DVB. 8. An defunctorum corpora exhumare, transferre, vel dividere liceat?

R. 1. Corpora nondum certo loco ad perpetuam sepulturam tradita movere, loco & in alium transferre licet, quia leges de hoc nihil definiunt, sed de traditis perpetuæ Sepulturæ loquuntur. *l. si necdum. l. Nemo hominum C. de relig. & sumpt. fun. l. ossa ff. eod. tit. 7. holo. l. 2. c. 14. Roder. 10. 3. Q. 62. ar. 1. Navar. Consil. 7. de Sepult.*

R. 2. Qui absque licentiâ Papæ mortuorum corpora in frustra conciduat, aut aqua calida solvant carnem ab ossibus, ut hæc aliò transferant ad sepulturam, excommunicationem incurrunt S. P. reservatam. Cadaver quoque eccl. Sepultura privatur, in detestationem eius carnicinæ. Ita constituit *Bonifacius VIII.* in quadam Extrav. quia incipit. *Desestandum* de qua ambigere licet, an prohibeat etiam sectiones, & anatomiam Medicorum. Bartolus certè considerationi doctorum relinquit in *l. fin. ff. de cadav.* Hoc temp. provaluit sententia, & praxis contraria, quæ quia à timoratis Iudicibus recepta est, non videtur damnanda; idemque *Carolo Imperatori* consulenti *Universitas Salmanticensis* respond. Neque hoc

hoc comprehendendi in præfata Constitutione Bonifacii *Silv.* asserit in *V. Excommunicatio* §. 7. §. 79. Nam pœnæ ultra proprios casus non sunt extendendæ. *c. 18. de pœnit. Dist. 1.* Sed molliendæ potiùs. *l. Interpretatione. ff. de pœnis.* Extravagans autem Bonifacii solum loquitur de casu, in quo cadavera exenterantur, & in frustra secantur, eo fine, ut alio in loco rumulentur. Adde, quod finis & utilitas Medicorum praxin faciliè excusat. Ided enim corpora membratim secant, ut internam partium dispositionem, & colligaturam discant, sedem, & receptacula morborum deprehendant, quò mederi facilius malè habentibus possint, quod non singulis modò hominibus, sed ipsi reip. & communitati plurimùm prodest. *Roder. l. cit. Ancharan. in Clem. 1. de pœn. & Romanus Boetius Decisione 287. Decianus l. 4. §. 44 n. 17. Bonac. To. 3. Disp. 2. Q. 3. pun. 45.* ubi ad incurrendam excommunicationem requirit, ut is, cuius cadaver exenteratur, in terris Catholicorum obierit. Nam si apud infideles, aut hæreticos decesserit, nò videtur excommunicandus, qui dissecat, ut ad ecclesiasticam sepulturam transferatur. Satius enim est hoc fieri, quàm hominis Christiani corpus apud infideles sacra sepultura privatum iacere. Hanc *Silvestri* opinionem, eui multi alii favent, *Suarez To. 5. Disp. 22. sect. 5 n. 3.* veram esse contitetur, indeque inferri, si quis cadavera ex odio, & vindicta dissecaret, non incurrere hanc censuram. Pœnam verò ut corpus sepultura careat, non nisi post legitimam sententiam deberi.

DVB. 9. Vtrum episcopus ex humatis possit corpora eorum, qui quamvis nominatim excommunicati aut Vsurarii essent,

à Religiosis sepulti sunt?

Rt. *Emm. Roder. To. 3. Q. 61. a. 4.* id posse episcopum virtute *Clementina. Eos qui de Sepult.* inque eum sinem intrare loca exempta, cum in ea *Clementina* privilegia in contrarium abrogentur. Verùm ex quibus verbis id colligatur, non apparet. Nihil enim de exhumatione inferitur, neque *Barbota* diligentissimus collector quicquã annotavit. Privilegia sublata sunt, ut videlicet non ob sint excommunicationi, quæ contra sepelientes fertur, an verò per hoc episcopus accipiat licentiam exhumandi sepultos, etiam intrando violentè in monasteria exempta non liquet, neque necessarium est. Tenentur enim, qui contra ius sepelierunt excommunicatos vel Vsurarios petenti episcopo tradere sepulta cadavera, quemadmodum ipse *Emmanuel in ar. 3. docet.* Quoc. *Silv. V. Sepultura nu. 16 & Armilla nu. 19.* omiſsa distinctione loci exempti, & nò exempti cum *Panorm. in 6. Sacris eod.* responderet non posse episcopum eiusmodi corpora exhumare, & procul abicere: posse verò impedire sepulturam, ne transferantur corpora ad locum exemptum. Cum enim delinquatur in territorio suo, potest obistere, & facere, ut in loco privato sepeliantur.

DVB. 10. Quæ sit pœna violentium sepulchra.

NOTA 1. Sepulchri nomine intelligimus cum Iure Consultis non tantum id quod quasi immediatum corporis conditorium, seu tumba est, sed etiam omne illud cæli quod supra est, sicuti dicimus, quod qui dominus est portionis alicuius Solis, intelligitur etiam æris dominus, qui supra eam portionem consistit usque ad cælum, *l. fin. ff. de servitutis.*

NOTA 2.

NOTA 2. Sepulcra pluribus modis violantur, magis vel minus, gravius aut levius, secundum diversitatem intentionis, & actionis malefactorum. Fieri enim potest, ut totum dissipetur, fieri etiam, ut pars sepulcri tantum, in quo iterum magna varietas: quemadmodum legere potes apud Decianum l. 40. c. 42. Nostro instituto brevis commoda est. Ad Q. ig.

R. Iure Canonico non videtur alia, & gravior pœna violatoribus sepulchrorum constituta, quam quod gesta irritantur, iuxta intellectum. c. Fraternitatem, & c. cum liberum de sepult. Ita Farinc. l. 1. de deli. & pœn. c. 20. Concl. 5. Extraordinariæ igitur pœnæ locus erit, & arbitrio boni Iudicis, quemadmodum Menochius dicit l. 2. de arbitrar. Casu 387. n. 1. Iure Civili autem plures pœnæ decernuntur. Nam qui violaturus sepulcrum attigerit tantum, 20. libris auri mulatur: qua pœna etiam Iudices puniendi, si id vindicare neglexerint. l. si quis sepulcrum. C. eod. Si tamen præter tactum non sit alius effectus, aut iniuria, Accursus in V. Violatores excusari putat à prædicta pœna. Porro auri libram 72. aurei faciunt l. Quotiesc. C. de suscept. præpos. & arcariis. Argenti verò quinque

solidi sive aurei. l. 1. C. de argenti pretio & c. 2. Qui corpora sepulta aut reliquias contrectarint, decem libras argenti coguntur filico inferte l. Qui sepulcra ci. fin. C. eod. Qui verò extraxit, armata manu vel ossa eruit, si humilioris conditionis est, extremo supplicio afficietur; si verò honestioris, in insulam deportabitur, vel damnabitur in metallum. l. fin ff eod. Farinac. l. 1. de deli. & pœn. c. 20. Menoch. Casu 387. Decianus l. 6. c. 42. & 43. Silv. V. Sepultura n. 13. Damh. c. 109. Iul. Clarus l. 5. §. fin. Q. 59. num. 45. addens hoc crimen propter multa cœca etia constructa apud ecclesiam in desuetudinem abiisse, ut modò Rubrica hæc partum in usu sit vidisse tamen se ingentem processum Cremonæ factum super hoc crimine, & fuisse quendam Galeacium condemnatum in uno idu tunis, & aureis decem: pro qua tamen condemnatione obtinuit gratiam. 3. qui epitaphia, tabulas, imagines, aut columnas frangit vel aufert, præter compensationem damni, eadem pecuniaria pœna 10. librarum auri mulatur. V. Berlichium Par. 5. Concl. 47. n. 41. & 42. Tholos. l. 33. c. 23. Vallensem l. 3. n. 28. §. 29.

TITULUS VI.

De Conventionibus.

DVæ nos causæ in huius materiæ pertractationem impellunt. Prima est, quia commercia rerum, quibus in vita civili nihil frequentius, & utilius, pactis, conventionibusque

absoluuntur: illa tem faciunt, & perdunt, possessiones mutant, dominia transferunt, lites & iudicia fovent, laicis, & ecclesiasticis, qui etiam ipsi cives, communia sunt.

Secunda